



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Incllyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvartum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput II. Idem (a) Cenomanensi Episcopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74533)

CAPUT II.

Idem (a) *Cenomanensi Episcopo.*

EX litterarum tuarum tenore percepimus, quod lator presentium in Subdiaconatus officio constitutus, quandam sibi in conjugem copulavit. Unde tu, sicut vir providus, & discretus, ipsum eandem, quam in uxorem duxerat, (b) abjurare fecisti; super quo facta prudentiam tuam in Domino commendamus, per presentia tibi scripta mandantes, quatenus si ad canonicum, vel monasticum ordinem transire voluerit, post septennem (c) poenitentiam laudabiliter in claustris peractam, si tibi, vel successori tuo idoneum visum fuerit, eum ad majores Ordines promoveri concedas. Quod si ad religionem se conferre noluerit, eum in subdiaconatu ministrare, neque ad superiores permittas ordines promoveri. In minoribus tamen ordinibus poterit ministrare.

NOTÆ.

1. (a) *Cenomanensi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc titul. cap. 2.* & post Concil. Lateran. p. 50. *cap. 59.* De diocesi Cenomanensi nonnulla adduxi in c. 54. *de electione.*
(b) *Abjurare.* Id est cum juramento dimitte-

re, & renuntiare, ut probavi in *cap. 4. de rescriptis.*

(c) *Poenitentiam.*] De poenis clericorum, qui in sacris ordinibus constituti, matrimonium contraxerunt, egi in *cap. 6. de cleric. conjug.* & quæ spectant ad eorum matrimonium, adduxi late in *cap. 1. de clericis conjugatis.*

2.

CAPUT III.

Idem (a) *Uvigorn. Episcopo.*

MEMINIMUS nos ex parte tua, questionem hujusmodi audivisse, scilicet utrum illi, qui se ad religionem coram Episcopo devoverint transiuros, & habitum religionis suscipiunt, si postmodum uxores duxerint, cogendi sint eas dimittere; & ad (b) Ecclesiam, cui se contulerint, redire? Super hoc utique duximus respondendum, quod si quisquam qui se religioni devoverit, & habitu suscepto professionem fecerit, & postmodum aliquam sibi copulaverit, est ab ea cogendus recedere, & ad eam, cui se contulerit, Ecclesiam sine contradictione transire. Verum si habitum non suscepit, nec professionem, sed votum solummodo fecit, & se ad religionem transiurum promisit, licet postea matrimonium contraxerit, non est ad Ecclesiam cogendus transire, & matrimonii votum rescindere.

NOTÆ.

1. (a) *Uvigorn.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc titul. cap. 6.* & alias partes hujus Decretalis congesti in *cap. meminimus, de appel.*
2. (b) *Ad Ecclesiam se contulit.*] Ex his verbis

facile colligitur, in presenti agi de Canonico regulari vitam regularem professo, qui forsitan canonicus erat ipsius Ecclesie Wigorniensis, quæ olim erat Canonicorum regularium, ut refert Pennotus *lib. 2. Canonic. Regul. cap. 37.* & ita Episcopus Wigorniensis de Canonico propriae Ecclesie forsitan consuluit ipsum Alexandrum III.

CAPUT IV.

Idem (a) *Lucensi Episcopo.*

CONSULUIT nos dilectio tua, quid faciendum sit de nobili muliere, quæ post mortem mariti, vestibus pretiosis abjectis, mutavit habitum, & de manu (b) presbyteri (c) velamen assumpsit, sed non renuntiavit propriis, nec intravit claustra, nec in manus alicujus Episcopi, Abbatis, vel Abbatisse, aut super altare (d) professæ est, vel obedientiam (e) promisit; postmodum verò anno elapso, cum multorum inquietudines ferre non posset, & lapsus incontinentiæ formidaret, abjecto religionis ha-